

AFRICANUS DEFENSUS, ET ILLUSTRATUS.

S I V E

SEXT. CÆCILII AFRICANI JURIS CONSULTI
fragmenta omnia, quæ in Pandectis Justinianeis su-
per sunt, decerpta ex Libris IX. Quæstionum cum Scho-
liis quibusdam tumultuariis publicæ disputationi
exposita, & , favente Deo, propugnanda

A D. FRANCISCO DE BORRÀS ET MARZÀL,
Barcinonensi, Jur. Civ. Studiofo.

P R Æ E R I T

D. RAYMUNDUS GUAU ET MANONELLES,
*Jur. Civ. Doctor, & Justiniani Voluminis
publicus Interpres.*

DISPUTATIONIS LOCUS CERVARIENSE
Lycæum. Dies 25. Aprilis, Anni Domini 1736. hora 4.
pomeridiana. Iustam pugnam antecedit Studentium
velitatio hora 9. matutina ejusdem diei.

Cervaria: Ex Officinâ Pontificiæ, ac Regiæ Univer.
per EMMANUELEM IBARRA.



SEXT. CÆCILII AFRICANI FRAGMENTA OMNIA,

QUÆ IN PANDECTIS EXTANT,

EX LIBRIS IX. QUÆSTIONUM DECERPTA CUM
scholiis quibusdam tumultuariis publicæ
disputationi exposita.

EX LIB. I. QUÆSTIONUM.

L. 46. ff. de adquir. hered.



UM falsum testamentum diceretur : siquidem ipse heres accusaretur ; quoniam certum esse debeat *se falsum non fecisse* , rectè adibit hereditatem : (a) Sin autem alius argueretur citra conscientiam ejus , non potest adire ; quasi dubitet verum esse testamentum. (b)

(a) Ut quis rectè adeat hæreditatem , scire debet qua ex causa , & quo jure ad eum hæreditas deferatur , *L. 9 ff. de adq. her. l. 22. ff. eod. Fab. de error. decad. 2. err. 7. n. 3. Ches. lib. 1. interp. cap. 12. n. 7.* Et si testamento hereditatem sibi delatam sciat , de viribus testamenti certus omnino esse debet , ut adeundo adquirat , vel repudiando amittat hereditatem , *L. 17. ff. de adq. her. l. 30. §. ult. l. 51 ff. eod.* Vnde si dicatur testamentum falsum , & fal-

AFRICANUS DEFENSUS, ET ILLUSTRATUS. 179

inde haberi, ac si retrorsus homo mihi venisset: ut scilicet si venditor possessionem postea nactus sit: & hoc ipsum tempus, & quod venditionem præcesserit, & amplius accessio hæc ei detur cum eo, quod apud eum fuit, à quo homo redhibitus sit.

(a) Pacti commissorii ea vis est, ut pretio ad diem non soluto, venditio resolvatur, & res redeat ad venditorem perinde ac si vendita non fuisset, *leg. 2. ff. de leg. commiss. Zoel. ad h. tit. num. 4. & 5. Ches. de diff. cap. 78. num. 3. in fin.* Hinc sequitur possessionem, quæ fuit apud emptorem, accedere, & proficere venditori ad usucapionem complendam: nam hæc resolutio emptionis redhibitioni similis est: & redhibita re ob morbum, aut vitium, possessio emptoris proficit venditori, *leg. 13. §. 2. ff. de acquir. posses.* quia etsi redhibitio venditio non sit propriè, *leg. 19. ff. de usurp. & usucap.* tamen revenditioni, & redemptioni similis est, propterea quod emptor redhibet rem, & pretium totum recipit.

Ut. Josephus Finestres & Monsalvo, J. Civ. Doctor, & Primarius Professor, ex commissione perillustris Domini Cancellarii.
De Queralt, Cancell.